

*esse, que corde credere ad justitiam, ore confiteri ad salutem
necessarium est. . . . cum sancta Romana Ecclesia de ea re hoc
usque nondum definiterit.*

XIX. Quartum argumentum. *Sententia, que necessaria
est ex cathedra definienda, debet esse conformis sacre Scripturae, vel traditioni Patrum. He enim sunt regulæ definitionum infallibilis veritatis: sed sententia de immaculato Virginis Conceptione non est expresse conformis sacre Scripture, quia autoritates, que in illius favorem adducantur, in sensu litterali hoc non exprimunt, sed detorqueri debent ad sensum accommodatitudinem, qui non est regula definitionum Ecclesiæ. Nec est traditioni conformis; quia de hoc Mysterio primo dubitatum est, & in primis Ecclesiæ seculis, a quibus traditio oritur, alium fuit silentium de Virginis Conceptione: Ergo definitio, que petitur, necessaria non est.*

Hæret hic aqua libellator. Nec enim audet adverbium illud *expresse* in majore propositione repeteret, quod est possum in minore. Quod tamen facere debuissest, ut syllogismus recte constaret. Sed ei tutius est visum fallere incautos dissimulando, quam adjecta particula non modo falsam propositionem afferre, sed etiam hæreticam, vel hæresi proximam. Hæretorum est enim, dogma nullum, quod ad fidem attinet, profiteri, nisi quod est *expresse conformis sacre Scripture*. Tum vero dicere, nihil esse definitum, nisi quod est *expresse conforme sacre Scripture, vel traditioni Patrum*, vel hæreticum est, vel hæresi proximum. Errasse Tridentinum Concilium, cum in Canonem retulit (a) libros Tobiae, Machabæorum, Sapientiæ, aliosque complures, quis nisi hæreticus dicere audeat? De iis tamen contentio pertinax olim fuit: nec ullus liber Divinus, nec vero certa traditio *expresse demonstrat*, libros eosdem esse Divinos. Quo pertinent ista, nisi ut appareat, id esse hæreticum, vel hæresi proximum affirmare, unde consequens fit, errasse Concilium in re gravissima? Sed his omissis,

quod

(a) *Seff. 4.*